



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ivlii Cæsaris|| Scaligeri|| Epistolæ|| &|| Orationes||

Scaliger, Julius Caesar

Lugduni Batavorum, 1600

Ivliivs Cæsar Scaliger Ioanni Alesmio Senatori Burdigalensi LXXXVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70455)

276 IULII CÆSAR. SCAL.
summa virum nobilitate, rara eruditione,
singulari erga me fide atque pietate, tuum
intima familiaritate necessarium, per eum
tibi mitto: vt quoniam iam pridem totius
pene reip. literariæ vocibus efflagitan-
tur: si in vtriusque rem esse videatur, vt
eos emittas in lucem: sint tuorum erga me
meritorum, meæ in te penitus obligata
voluntatis perpetuum posteris monumen-
tum. Vale. XIII. Cal. Octobris. M. D. LVII.

IULIVS CÆSAR SCALIGER
IOANNI ALESPIO
Senatori Burdigalensi LXXXVIII.

QVAS olim tibi miseram mearum pri-
mitias lucubrationum ex eo medici-
næ cultu, qui affinis est naturalium disce-
ptationum, nuper ab optimo viro atq. do-
ctissimo Iano Maumontio appellatus, eas
vt reuiferem feci, nec tam necessario quam
libenter: nempe magis vt amico meo sum-
mo, ac de me optime merito gratificarer,
quam quod in illo quicquam meminissem
obnoxium accuratori castigationi. Si quid
tamen labeculæ vel incuria nostra, quæ toti
humanæ speciei perquam est familiaris, vel
librariorum negligentia aspersum esset:
imo

imo vero etiã si quid non esset, tamen quoniam ipse esse suspicaretur, petebat vt recenti opera liceret sibi securiore animo hanc typographis mandare nouam editionem. Mihi ergo quæ hoc longo lectionis vsu, frequentique rerum exercitatione digna visa fuerant, eorum ad formam direxi pauca: cætera vero, ita vti erant, relicta sunt, partim quod nullo modo contemnenda videbantur: partim vt & tu & studiosi omnes ex illorum priorum atque horum posteriorum comparatione cognosceretis, ecquid in probando & repudiando iudicii maturior ætas attulisset. Hunc vero librum, qui semper tuus fuerit, vt in noua editione ad alterius nomen recentiorum more transferretur, neutiquam tuis virtutibus, meaque tuorum erga meos memoria beneficiorum, denique sanctissimo amicitia nostræ iure dignum arbitratus sum. Neque existimaui libros meos semel adoptatos, toties tot in alienas familias transcriptos vlllo vel suo, vel meo merito pati capitis diminutionem. Sed tamen viri illi doctissimi atque optimi suas quoque habent, quas foueant, rationes. Quamobrem mihi illos, neque de eo quod factum est iam admonendi ius, neque de eo quod iu-

278 IULII CÆSAR. SCAL.
re tuentur, obiurgandi vllus est relictus lo-
cus. Sed illa vnica ratio, qua mihi persua-
deam satis esse, si officiorum continuatio-
ne constantis animi retineam opinionem,
quam gratissimo ac fortissimo cuique vi-
ro esse oportet in prima commendatione.
Vale.

IULIUS CÆSAR SCALIGER
SEBASTIANO GRYPHIO TYPOGRAPHO
S. D. LXXXIX.

CvM plerique librorum meorum, qui
sane quasi futuræ famæ tentantibus
vadum nobis præmissi erant, tuis opibus
atque apparatus ea gratia affecti sint, vt
non minus tuum ob beneficium, quam
propter suum meritum eos doctissimus
quisque & exceperit & probarit: non fuit
mihi committendum, vt quæ attentiore
opera cumulatiora commoda polliceren-
tur, non & impensiore tibi cura commen-
data esse vellem. In omnibus enim scri-
ptorum meorum rationibus cum iudicii
nostri nescio quas affectiones a vulgaribus
fordibus, vt mihi videbatur, longe alias
semper secutus sum: tum iis in libris, quibus
Latinæ linguæ causæ continentur, animo
nostro